



# **Exemplum theologiae et doctrinae papistice : hanc olim pulchram veteres dixere figuram.**

<https://hdl.handle.net/1874/431196>

EXEMPLVM  
THEOLOGIAE  
ET DOCTRINAE  
PAPISTICAE.

*Hanc olim pulchram ueteres dixere figuram.*

WITTENBERGAE.  
DMXXXI.

EXEMPLVM  
THEOLOGICAE

ET DOCTRINAE

BASILICENSIS

ANNO DOMINI MDCCLXXII

AVI TIBERIS CAS.

DEKRETT.

# PRAEFATIO D. MARTINI LV. THERI.



**N**ON EST VL  
LI VERE CHRISTIANO DV-  
bium, quod omnia pertineant ad gloriam Christi  
illustrandam, quaecunq; dicuntur aut scribuntur  
ad ignominiam & destructionem abominationis  
istius & tyrannidis Papisticae, Cum enim ipsa de-  
uastarit & conculcauerit regnum Dei & Christi,  
nihil sanctius, nihil honorificentius, nihil diuinius fecerimus, quam si Vasta-  
tricem illam salutis nostrae & prophanatricem glorie Dei, rursus uasta-  
uerimus & conculcauerimus quantum possumus, iuxta illud Apocalypsis,  
18. Reddite illi sicut ipsa reddidit uobis, & duplicare illi duplicata secundum  
opera eius, In poculo, quo miscuit uobis, miscete illi duplum. Quantum  
glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.  
Loquitur enim de tyrannide abominations Papalis, Et longe aliter loqui-  
tur, quam is, qui contendunt, non esse perpetuo in Papatum inuohendum,  
Dicit enim, Duplicate illi, reddite ei duplum &c. Volens scilicet hac ex-  
hortatione sedulos nos facere & assiduos in torquenda & uastanda abomi-  
natione ista.

Cum autem & ego sim unus de Antipapis, reuelatione diuina ad hoc  
uocatus, ut dissipem, perdam & destruum regnum illud maledictionis,  
cupide & libenter eo fungor officio, sicut haecenus feci. Ideo statui hunc  
sermonem, seu portentum potius in publicum edere, & in faciem sistere,  
impudentibus illis frontibus & inuerecundis facibus Papistarum, Qui  
sum totam Ecclesiam eiusmodi portentis repleuerunt, sinisq; eius abomina-  
tionis pala-

tionis palam conuicti, tamen adeo sunt durae cervicis & impenitentis cordis, ut ea non modo nolint agnoscere, confiteri & emendare, sed studant etiam occultare & tegere, deinde seipfos ornare & colere, donec (Vti sperant) adepti ueterem & pristinam speciem sanctimonie, rursus eadem monstra per Ecclesiam erigant & statuunt, Cogemus itaq; eos, uidere sua monstra, reuelabimusq; turpitudines & pudenda eorum, & ut Propheta dicit, Projiciemus in facies eorum stercus solennitatum ipsorum, ut tam huius quam posterius seculi, homines, uideant & perpetuo meminerint huius purpurate meretricis, & cum uiderint, perfecto odio oderint, & con iunctis studijs abominandas fornicationes eius detestentur ac persequantur.

Est autem hic sermo a quodam magni nominis Dominicastro in Ce nobio quodam huius regionis, miserrimis illis puellis, quas Nonnas uocamus, non multo ante hos dies, predicatus, ad commendandum Nonnarum institutum, & usq; ad miraculum a cunctis laudatus, deniq; certatim ab omnibus uelut sacerrimus thesaurus, tantum non adoratus, & inter sacras reliquias reconditus, licet sit frustillatim, ut apparet, ex ore dicentis excerp tus. In quo uidere licet, Papiisticae Theologiae insigne exemplū. Et hic ueremus est florum rosarij illius tam celebrati apud illos. Excedit insuper omnibus, presertim adolescentibus & puellis, nosse & meminisse, quales Doctores & magistrōs sub Papatu habuerimus, Et quali doctrina genere oppressi fuerimus, ut per antithesin seu oppositorum comparisonem, clarius intelligamus diuitias & magnitudinem gratiae Dei, Qua nos respexit denuo miserrimos, & illuminauit uerbo suo sancto & puro cum omni abundantia benedictionis suae caelestis, Simul ut in posterum cautiōres reddantur, ad uitanda monstra tantae abominationis Deus det, ut tantum crescat odium nostrum & nausea in istam abominationem, quantum crescere debet gratitudo nostra & amor erga diuinam hanc misericordiam in Christo nobis donatam. Cui sit Laus & gloria in omnia secula,

A M E N.

Incipit

# INCIPIIT SER

MO EXIMI MAGISTRI NOSTRI  
I. R. PROVINTIALIS ORD.  
PREDICATORVM.

## THEMA.

*.i. Nonne*  
Offerentur regi virgi-  
*.ii. Mariam & Christum.*  
nes post eam.

*id est.*  
Rapiantur a Chris-  
to & fide abnega-  
ta tradantur in Mo-  
nasteria sub iugum  
traditionum & ope-  
rum.

Glosa Magistralis sus-  
per illud Prouerbi. 3.

Honora Deum de tua  
substantia / dicit / Bene  
offert / qui de suis bene  
acquisitis bonis / Meli-  
us / qui de suis bonis ope-  
ribus / Optime / qui se ip-  
sum / Deo offert.

*Quia baptisari  
& credere in Chri-  
stum est nihil ad ista  
sacrificia.*

Tria enim sunt bona se-  
cundum Aristote. septi-

*Aristoteles hic acci-  
pitur pro Magi-  
stris nostris eximjs  
in Papatu, qui istam  
distinctione inueniunt*

A iij mo

Quia Aristote. ual-  
de nouit, quid sint  
bona spiritalia.

imo Politicorum / scilicet /  
Temporalia / Corporalia et  
Spiritalia .

Per hoc . i. non per  
Christum, neq; per  
fidem. Sed per nega-  
tum Christum &  
blasphematum.

Quis . i. Papista.

Gratia non est opus  
sufficit liberum ar-  
bitrium.

En gloriosos An-  
baptistas, Vides, ut  
baptismo imo Chri-  
sto ipsi, sua porten-  
ta sequent sacrilegi  
& blasphemii.

Magnum est / Deo offer-  
re Temporalia pro stru-  
ctura Ecclesie etc. Nam  
per hoc sperat quis con-  
sequi remissionem pecca-  
torum suorum.

Sed Maius / qui offert  
Deo Animam per libe-  
rum arbitrium et propri-  
am Voluntatem / Sicut  
facit religiosus / qui per  
hoc consequitur plenari-  
am remissionem quasi  
susciperet baptismum /  
Et corpus (scilicet offert)  
per Virginitatis maxi-  
mam

(religiosus)  
i. aduersarius  
Christi & sa-  
crilegus fidei  
corruptor.

Fortes plures  
sunt, qui non ac-  
cipiunt a Deo  
Sed dant de  
sua plenitudi-  
ne, tam gran-  
dis.

munum donum et Clinodiu-  
m / Et presertim cum  
illa oblatio fit in Iuven-  
tute /

Scilicet cum est casti-  
tas maxime pericu-  
losa imo impossibilia

Ut quis nedum arbor-  
rem sed etiam fructum  
Deo dat per Votum re-  
ligionis / Quod Votum  
excedit omne genus  
Martyrii / omne Vo-  
tum peregrinationis / eti-  
am terrae sanctae / Et om-  
nem penitentiam /

(Martyrium)  
etiam Christi & om-  
niam sanctorum, ut  
sic soli religiosi sint  
sancti sanctorum.

(Exemplo)  
Quia fuit Monialis  
Et Ioseph fuit eius  
Abbatissa. Et diuer-  
sorum fuit eius Mo-  
nasterium. Et asinus  
fuit eius Confessor  
& Praedicator. Et  
praesepe fuit chor us.  
Panni fuerunt capa  
pa & reliqua de  
eadem lectione.

Etiā omne  
quod dicitur  
Deus aut quod  
colitur.

Et quia praesens puel-  
la / exemplo beate Virgi-  
nis (que primo virgi-  
nitatis votum emisit)  
spernens regnum mun-  
di et omnem ornatum  
saeculi / offert se anima et  
corpo-

Sicut patet in  
religiosis eta-  
am regum opi-  
bus et luxu su-  
perbientibus



corpore aeternaliter vi-  
uere Deo / imo / id quod  
est Deo gratissimum.

*Ubi patet . 10 . Libro  
Physicorum . Et  
Epsopi Lib . 5 .*

Virginitatem / Nam De-  
us Specialiter virgines  
sibi eligit hic et in futuro

*Apostolos  
non sic elegit  
specialiter.*

*Superlatiuum ex-  
ponendo tam nega-  
tiue quam affirmati-  
ue, Vt Apostolorum  
status paruus esse in-  
telligatur .*

*Ettam maior quam  
fidei victoria qua  
diabolum & mor-  
tem uicit, ut sic fides  
longe sit uilior qua  
castitas .*

*Quia ceteri sancti  
non sociantur ange-  
lis, sed diabolis, quia  
non sunt conformes  
Christi sicut uirgi-  
nes .*

Status Virginum hic  
est / Excellentissimus /  
quem Christus et beata  
Virgo tenuerunt / Lau-  
dabilissimus / Quia ma-  
ior Victoria et duriora  
certamina / Utilissimus /  
quia consequitur fru-  
ctum centesimum

Et honoratur in coelo /  
Angelica societate / gau-  
dij singularitate / Christi  
conformitate Sequun-  
tur enim Virgines ag-  
num

*Hec mira gra-  
diosa uocatur  
tur alia pre-  
mium Aurea  
la .*

num/ quocunque ierit/  
Non est enim pondera-  
tio continentis anime/  
Eccle. vigesimosexto.  
Omne aurum in compa-  
ratione eius / arena est  
exigua.

Ideo virgo debet cogi-  
tare quae sunt Dei/ pri-  
mo Corinthiorum septi-  
mo/ quae sunt/ sancta/ pu-  
dica / Omnes cogitatio-  
nes/ locutiones &c. offer-  
re Deo/ Ut sit immacula-  
ta et sancta corpore et  
anima munda. Ut Chri-  
stus/ cui desponsata est/  
possit dicere/ Tota pulch-  
ra es amica mea / Si est  
**B** mag

*Cogitare quae sunt  
Dei exponit non de  
uerbo Dei, Sed de co-  
gitationibus castita-  
tis, illis enim sancti  
sunt & immaculan-  
ti, etiam sine fide  
& Christo.*

magnum / violare tem-  
plum materiale / multo  
plus est violare tem-  
plum spirituale / Tem-  
plum Dei sanctum est /  
quod estis vos /

Vos scilicet  
Monachi &  
Nonna, fol. 16

Mundiciam non fi-  
dei Christiane sed  
notiue castitatis.

Candida propter  
mundiciam, Et Ni-  
gra tamen simul  
propter humilita-  
tem, ut supra.

Duplex est color vesti-  
menti / Albus significat  
mundiciam / Niger humi-  
litatem / Ambulabunt  
mecum in albis / quoni-  
am digni sunt / Vide / ut  
vestimenta tua sint omni  
tempore candida /

Vestis non facit religio-  
sum nec nomen / Sed  
mores /

Summa / Religiosus est  
Angelus terrestris.

Et futurus archan-  
gelus coelestis. Et  
Nonna est Angela  
terrestris & Arch-  
angela coelestis.



## PRIMUM VI

DE, THEMA (VT VOCANT) QVAN  
to sacrilegio ex Psalmo . 44 . decerpit & laceret,  
Psalms loquitur de uirginitate fidei et de Catholica  
Ecclesia, Hic uero Magister noster eximius detor-  
quet eum in suas sectas, et de opere, in contumeliam  
fidei & spiritus sancti, exponit, At hic illis perpe-  
tuus mos est, & plane Canon plusquam Canonicus, totam scripturam de-  
prauare, ut in hoc exemplo cernis.

Deinde quam Magistraliter citat glosam de triplici gradu sacrificio-  
rum, scilicet de bonis bene acquisitis, de operibus bonis, de se ipso, Et lo-  
quitur de talibus, quasi non omnes Christiani Deo ista debeant, sed solum  
sue uirgines ex abundantia seu ex super erogatione (ut uocant) Deo pre-  
stent, Cum tamen nullus Christianus satis Deum diligere possit, sed ualet  
ista blasphemiam ad obscuranda & conculcanda optima illa sacrificia, scilicet  
laetitiae & afflictionis seu mortificationis Roma. 12. ut sacrificia sese (i.  
Papists) digna docere possint.

Illud uero maxime est Magistrale & doctorale, Quod Aristotelem,  
dicit septimo Politicorum, tria bona asserere, Temporalia, Corporalia,  
Spiritualia, Et hoc ipsum enim pertinet ad exemplum Theologie Papisti-  
ce, quod ex Aristotele uel false allegato uel nunquam intellecto, ostentare  
solent copiam scientie suae, tantum ut Christi, Apostolorum & Prophe-  
tarum nomen absq; synagogis faciant, Nam is fuit tum inter Papistas docto-  
ralissimus, qui frequenter Aristotelem, & nunquam Christum, Apostolos,  
uel Prophetas citare posset, magnifico scilicet titulo, Magister Gentilis  
der Heidnische Meister, tanti Theologi, gloriati scilicet, quod essent disci-  
puli gentilis hominis, qui nihil de Deo & Christo cognouit. Et satis foelici-  
ter promouerunt, Nam eandem ignorantiam Dei & Christi perfecte didice-  
runt ex Aristotele & per Ecclesiam totam seminauerunt.

Quam secure blasphemat sanguinem Christi, ubi remissionem pec-

vatorum consequi eos dicit, per oblationem temporalium ad structuras Ecclesiarum, Certe per hos horrendos blasphemosq; sermones impleuerunt, non solum Ecclesiam abominationibus & erroribus, sed etiam totum orbem templis & monasterijs, Et ipse Papatus stat per has blasphemias. Nullus tamen Episcoporum, Nullus Papa hunc errorem vidit, Sed Ecclesia uocabatur tunc sancta & pulchra, Nec adhuc hodie de istis penitent, uerum defendunt potius & ui & ferro.

Auguet uero blasphemias in infinitum quod sequitur, Religiosum consequi per oblationem sui uoti (quod per liberum arbitrium facit) plenariam remissionem, quasi baptismum, Vides hic, per liberum arbitrium sine gratia, sine fide, nos posse saluos fieri, & tam sanctos, ac si baptismi & sanguine Christi essemus purgati. Certe, sic eos docuisse, non possunt negare, Extant ubiq; uera exempla, & scripta testimonia per totam Ecclesiam, Colligant nunc omnes Hareses & errores Lutheri (ut uocant) Et conferant cum his blasphemijs suis, Et coget eos etiam suum liberum arbitrium (quantumuis Satana obsessum) confiteri, Papiam esse non Hæreticam aut erroneam, sed plane ipsam abominationem omnium Demorum.

Non dissimile est, quod sequitur, Scilicet, Religiosos Deo offerre arborem cum fructu (Hanc enim parabolam miris modis inculcauerunt & celebrauerunt, & est apud eos ceu articulus fidei) Docent igitur hac sacra Theologia sua, Ecclesiam sanctam non offerre arborem, Sed tantum fructus, Id est, Ecclesiam esse exiguum quid, ad religiosos comparatam, etiam si Christi sanguine sit sanctificata & tota sese offerat assidue, Longe maius offert liberum arbitrium, sine Christo, quam Christus ipse obtulit in cruce.

Et hunc hiatus blasphemii huius portenti, mihi considera, Votum (inquit) religiosi, superat omne genus martyrij, Omne Votum peregrinationis, Item omnem penitentiam, &c. Hoc est uniuersam Ecclesiam & omnes martyres Christi prorsus conculcare & irridere, Nam istis Theologis, Martyres Christi non offerunt arborem cum occiduntur, Atq; si offerrent, tamen longe uilius offerunt quam religiosi, qui summo otio deorant sub

Hanc 149

stantiam alienas, interim tamen Voto liberi arbitrij se perant omne gentis  
Martyrij.

Eat nuue Christus & falso laudet Ioannem Baptistam, q. non sur-  
rexerit maior inter natos mulierum, Cum Magistri nostri Extimij cum suo  
Papa, multo maiores eo inuenerint, scilicet se ipsos, Nam hic habes, &  
Nonna, que nec ministerio uerbi, nec effusione sanguinis, nec seruore  
spiritus, nec studio orationis, nec officio ullo charitatis, Deo seruit,  
sola castitate per liberum arbitrium oblata, superat omnes Martyris Dei.  
Et hec quidem apud eos uulgo & predicata & credita fuerunt, neq. hodie  
corrigitur, sed confirmantur igne, gladio, & omni serore.

Quid putas uero sentient de statu Episcoporum & de Sanctissi-  
Domino suo Papa? Nam religiosi sunt (ut aiunt) in statu acquirenda  
perfectionis, Sed Episcopi in statu exercenda perfectionis, Papam uero ut  
sanctissimum, super status omnes, oportet plane in statu glorificate & co-  
ronate perfectionis esse, Quare si Nonna superat uoto castitatis & sta-  
tu acquirenda perfectionis, omnes Martyres, necesse est, ut Episcopi cum  
suo statu exercenda perfectionis, superent omnes a postolos & Prophetas,  
Relinquitur unus Papa, qui statu gloriose perfectionis superet ipsum Chri-  
stum & omne quod dicitur Deus aut quod colitur, Hoc est quod uolu-  
erunt & impleuerunt, ut Diabolum in Ecclesia constituerent idolum, loco  
Dei, adorandum, Ex ipso enim has & alias infinitas abominaciones &  
blasphemias didicerunt, Nec tamen nunc, cum reuelate sunt, & eas agn-  
noscere cogantur, ulla parte corrigere uolunt, Sed occidunt eos, qui tanta  
monstra non adorant. Verum ultra non proficiunt (ait Sanctus Pat-  
lus. 2. Timo. 3.) Postquam eorum insipientia nota facta est cunctis homi-  
nibus, Quo testimonio Spiritus, noster spiritus certissimus fit, Papietas  
cum suo Papa ultra non fore felices, neq. habituros esse successum, id  
quod simul res ipsa consentiens clamat, & practica eorum, quas hoc se-  
culo multas & magnas tentauerunt, & tamen omnes, sanima semper  
eum ignominia, irritas & inutiles esse senserunt, Nec tamen desistunt fir-  
riofi, nouas semper tentare, scilicet, ut Pauli praedictiorem, plene & per-  
fecte impleant, & co celerius (sicut mirentur) pereant.

SEQUITVR.

Præfens puella fpernens regnum mundi, exemplo beatæ Virginis, (Quæ primo uirginitatis uotum emiſit) offert ſe anima & corpore, &c. Iterum continuis & meras audis blaſphemias in fidem & Chriſtum, & Virginitas offerat corpus & animam, ſcilicet quaſi nullus Chriſtianus corpus & animam offerat & mundum ſpernat, ne Martyr quidem, Sed ſoli Nonni & Nonnæ offerunt ſeſe totos & ſpernunt regna mundi. Ceteri Chriſtiani, quia non ſunt Nonni & Nonnæ, rapiunt potius Deo corpus & animam, & diligunt ac eligunt mundum, Igitur obſcurauerunt his blaſphemijs ſacrilegi iſti Theologi gloriam fidei & Eccleſiæ, ut Eccleſia proſus nullus eſſet precij in comparatione religioſorum. Et certe ſic docuerunt, ut hic audis, Sic etiam uixerunt, & omnes homines his præſtigijs dementauerunt, Cum tamen reuera non ſpernant, ſed poſſideant potius mundum cum omni gloria & opulencia ſua.

ſcilicet pannofus mendicus ſpernit in domo paterna furſures & ſtiliquas, nudicam & ſumnam omnium rerum penuriam, fugit uero in Monafterium & fit alienis opibus doctor aut Abbas, etiam principibus adorandus, Et puella, in mundo futura focaria (ut dicitur) ancilla aut famelica materfamilias, fit in monaſterio Abbatiffa & glorioſa Domina, etiam reginis mundi uenerabilis. Quod ſi ſimplices & inferioris gradus Nonni & Nonnæ naſerint, Tamen uictum & ueſtitum, domum & omnia neceſſaria ſic habent opulenter, in ſummo otio & ſecuritate cum ſumma laude & gloria, deniq; cum ſpe uite æternæ (ut ſomniant) ut totus mundus, ab eis tam religioſe ſpretus, non poſſit, nec regum filijs, tantam mundi ſecuritatem & ſauritatem, cum tanta gloria & laude præſtare. Habes itaq; mundi contemptores, nomine & ſuoco, Sed mundi dominos, re ipſa & ueritate, Hoc uouet religioſus & præſens puella exemplo beatæ uirginis.

Iam iſtum articulum fidei, a Magiſtris Nonnarum repertum, ſcilicet (Quod Beata uirgo primo uotum uirginitatis emiſit) ſi tu neges aut dubites, Plane omnium Hæreticorum hereſiarcha fueris, Sed unde talem articulum demonſtrant? Ex Euan-gelio Lucæ, 2. Vbi ipſa Virgo dicit, Virum non cognosco

cognosco. Hic (non cognosco) secundum glosam, significat, Non cognosce  
re propono, Postea secundum Magistros Nonnarum (Non cognoscere pro-  
pono) significat, Ego uotum Virginitatis emisi & Nonna esse uolo, sper-  
nens mundum, ut sim exemplum Nonnarum &c, Nec est hic lis Gramma-  
ticorum sub iudice, nec ullum dubium, Certa est grammatica & bona con-  
sequentia. Eadem consequentia sequitur, q. Christus fuerit Nonnus &  
Nonnarum exemplum, Quia & ipse potest dicere, Mulierem non cognos-  
co, id est, non cognoscere propono, quod ulterius idem est quod, Votum ca-  
stitatis (uirginitatis non potuit, quia fuit masculus & non uirgo seu femi-  
na) emisi & Nonnus esse uolo, spernens mundum, ut sim exemplum Non-  
narum.

Sed hic questio nascitur, Cuius ordinis, Beata Virgo & Christus  
fuerit & qualem Vestem & cucullum ac rasuram gestauerit. Hic Magistri  
Nonnarum nondum sunt concordēs, Tamen Nicolaus Lyranus, Iohan. 2.  
uerisimiliter dicit, Christum fuisse de ordine Minorum S. Francisci. Et pro-  
bat sic, Christus (ut est in textu) fecit flagellum ex funiculis, id est, ex cin-  
gulo ordinis Minorum, quia non apparet alias, unde tam cito potuisset fu-  
niculos inuenire. Sed Prædicatores possent cum sibi arrogare & dicere,  
Christus tota uita prædicauit, Sed qui prædicat, est prædicator. Prædicator  
autem est de ordine prædicatorum. Canonici regulares non possunt cum  
suo ordini arrogare, Quia ipsi generant multos pueros, ex alienis mulie-  
ribus, Sed Christus fuit cœlebs & nihil genuit.

Ex Lyrano sequitur alia questio, An Christus etiam peccauerit,  
quando cingulum ordinis dirupit et in flagellum commutauit, Videtur enim  
ordini tam sancto in iriam fecisse, quod formam cinguli mutauit & in ho-  
norauit, dum ex sacerrimo cingulo ordinis, fecit deforme flagellum quasi  
Tortoris aut carnificis. Hic potest responderi per ipsos met egregios ac  
profundos uiros, Ego me non intromitto, de istis arduis & profundis sub-  
tilitatibus, ex inuicem sine fine nascentibus.

Sequitur. Spernens Mundum, Nec hoc satis, Etiam omnem or-  
natum seculi &c, Quia mundum spernere, non sufficit, nisi & omnem  
ornatum seculi speruerint, Copiosi & acuti satis Theologi, Qui con-  
temptum



contemptum mundi aliud faciunt, quam contemptum ornatus secularis, Habes igitur hic iterum alium articulum doctrine Papistice, Scilicet q. mundum spernere sit fugere in Monasteria, & corpore locum mutare, Nam hanc opinionem plantauerunt per totam Ecclesiam, quod spernere mundum, sit in Monasterium sese abstrudere, Et creditum est illis, & eo facto totius orbis opes occupauerunt, Episcopi, Pastores, & quotquot regunt Ecclesias, non spernunt mundum, sed uocantur sacerdotes seculares. Sed neq. ligna, neq. lapides, etiam si in Monasteria portentur & perpetuo maneant in edificijs, gaudent hoc priuilegio, q. dicerentur. Spernere mundum, cum tamen & ipsa eodem modo quo Monachi & Nonne, corpore locum mutant, & de sylua in Monasterium truantur, Et Nonni de Nume cole. n. mo. lo, quo ligna & lapides (utrinq. Trunci & Saxa) in locum alium corpus suum transferunt, Sed oportet esse animal rationale, sicut est homo, qui possit dici, Spernere mundum.

Igitur cum Spernere mundum, istis Doctoribus eximjs sit, non istia mundi, incredulitatem, fiduciam sui, ignorantiam & inobedientiam Dei, concupiscentiam, auaritiam, inuidiam & reliqua opera Diaboli relinquere. Sed per electionem religionem potius hęc monstra statuere, fiduciam conculcare, & fiduciam sui alere, totum regnum Christi, suis abominatibus obscurare & prophanare. (Nam regnant hęc monstra in religionibus, Et nisi regnarent, non possent religiones consistere, Ideo enim itur ad opera religionis, que Baptismo equant, quia receditur a fiducia in Christum) sit, ut per uocabulum, Spernere mundum, aliud nihil possit intelligi, quam spernere coniugium, magistratum, officia ecclesiarum, cum eadem uitia & eandem carnem, secum ferant & retineant in Monasterio, que foris in alijs locis habuerunt.

Tu nunc uide sapientiam istius doctrine in magno mysterio abscondite. Vitia mundi non spernunt, sed diuinas ordinationes, ut Ecclesias regere, Coniugium (etiam maximo multorum periculo) & Politiam, que omnia Deus ordinauit, & colere atq. honorare precepit, illi autem deserunt & fugiunt, et eodem uia, deinde gloriantur, se offerre Deo fructum superantem omne genus Martyrij. Tamen preualuit ista pestilens species, mutat loci &

in Monasterium ingressus, ut pro contemptu mundi celebraretur, nec li-  
deretur, quod iste contemptus uerissime fuerit contemptus Dei & suarum  
ordinationum ac merus amor & honor mundi & diaboli, hostium Dei  
& omnium suorum operum.

Sed minor est ista blasphemia, & spernere mundum uocant, id quod  
uere est spernere economiam, politiam & Ecclesiam, diuina scilicet opera  
& præcepta, Hec est multo maior, & per ingressum religionis negant si-  
dem Christi, & danant gratiam baptismi sui, & contumeliam faciunt spi-  
ritui sancto, Quia non confidunt per Christum aut baptismum iusti & sal-  
ui fieri, Sed per uota & opera religionis suæ, tam abundanter, ut ea etiam  
alijs uendant, & non solum seipfos, sed & alios per eadem saluos faciant  
Ecce hoc est spernere mundum, Hec abominatio tunc regnauit apud eos,  
nec possunt negare, Et tamen non agnoscunt aut penitent. O maledictus  
iste contemptus mundi, quo non potest maiore sacrilegio Mundus honorari,  
& princeps eius diabolus adorari.

Spernere uero ornatum seculi, aliud nihil esse potest, quam formam  
uestis puellaris, per formam cuculli mutare, Neq; enim omnes. Nonne au-  
reas coronas, murenulas & torques habuere, quas relinquere, omnes  
uero puellarem uestem, qua cum honore coram Deo & hominibus usi sunt,  
mutant cucullo. Quid igitur spernunt iste hypocrite, nisi bonam & uti-  
lem uestem, honeste & uerecunde formatam & gestatam, & in qua, procul  
dubio si caste & obediens sub parentibus uixerunt, plura & sanctiora  
opera fecerunt, quam in omnibus cucullis unq; facta sunt & fieri possunt.  
Et tamen istam bullam huius doctrine, sic iactauerunt per ecclesiam, ut omne  
genus Martyrij superaret, Hic nullus Episcopus uigilauit, Nullus doctus cla-  
mauit contra has perfidas & blasphemias abominationes, Sed omnes simul  
insanauerunt & probauerunt monstra hæc, atq; nunc etiam defendunt ui-  
S E Q V I T V R. ( & furia.

Offert se anima & corpore uiuere Deo æternaliter. Sic enim do-  
auerunt isti sacrilegi asini, & hac doctrina fidem Christi extinxerunt, &  
adhuc extinguunt, imo blasphemant Deum in omnibus suis operibus & uer-  
bis. Nam in Magistratu & oeconomia non concedunt esse cultum aut ob-  
sequium Dei, nisi quando intermissis officijs publicis & domesticis, ad Ec-  
clesias ibant & Missas audiebant, & sine mente orabant Rosaria & alia  
C præscripta

prescripta illis a Magistris istis Nonnarum, Hoc est quod hic sermocinator  
dicit, Nonnam eternaliter seruire Deo, Scilicet, q̄ homo pollicus aut oeco-  
nomicus, non eternaliter seu assidue Deo seruire possit, Quia occupatur  
officijs domesticis & publicis quibus Deo non seruitur, sed diabolo seu mun-  
do, Nonna uero semper uiuit Deo, corpore & anima, nisi forte cum dor-  
mit aut aegrotat, Quasi uero Nonnae etiam non occupentur officijs do-  
mesticis, coquendo, lauando, nendo, linum & lanam operando & plane  
omnia officia muliebricia & domestica, etiam magis quam ulla uxor, exercen-  
do, Vno dumtaxat excepto, quod non parium nec uiris cohabitant. At lo-  
co huius, alienos pueros alunt, educant & formant & regunt, etiam ma-  
iore studio & cura quam matres multae solent.

Quo ergo differunt Nonnae ab uxoribus, nisi ipso coniugio? Et tamen  
Nonnae seruiunt Deo corpore & anima eternaliter, Vxores seruiunt  
Deo nunquam, nisi extra sui status officia. Quid hoc est aliud, quam  
uxoris officia, ceu mundana, damnare, & Deum, cuius haec sunt diuina  
opera in sua ordinatione, blasphemare? quae tamen & ipsae Nonnae tam  
strenue exercent, Et toties Paulus doceat ea officia placere Deo. Et mulie-  
rem saluam fieri per filiorum generationem, Officia autem Deo placere,  
quid est nisi per ea Deo seruari & uiui eternaliter tam corpore quam anima,  
Sed hoc non admittit abominatio ista Monastica, ne gloriam ordinis  
sui amittat. Quin potius, fidem Christi conculcant, & docent, Nonnam  
sine fide, suis Nonnalibus uestibus & cultibus Deo eternaliter uiuere tam  
corpore quam anima, Saram uero, Rebeccam, Rabelem, Hannam, Elisa-  
beth, & omnes alias sanctas uxores, plenas fide & spiritu, non seruire Deo,  
sed mundo & diabolo. Vide, qualem doctrinam & opinionem Satan per  
istos homines uexerit in Ecclesiam, Nonne hic sentis, Vnam uxorem in-  
ter Christianos, etiam abiectissimam, si fidelis est, meliorem esse quam om-  
nium Nonnarum infinita Monasteria. Et omnes simul dignas non esse, ut  
una tali uxori porrigant calceum, propter blasphemam suam & sacrile-  
gam in Deum & Christam, religionem, seu abominationem potius.

Sic si Monachorum officia spectes, Quid est politicorum operum,  
quod non exercent? Nonne agros, uineas, hortos, praedia, greges peco-  
rum, habent? Nonne, uendunt, et nunt? Nonne, iudicia habent? Et quid  
dicam?

alicam? Ipsa politia unquam fuit aut est magis exercita & sollicita, quam apud Monachos & Episcopos, Vno excepto, quod non militant ipsi in castris, licet loco eius officij, alant exercitus, iuvant duces, hortantur bellatores, Etiam ipsorum multi hodie per se belligerantur. Et tamen ipsi seruiunt eternaliter Deo corpore & anima. Magistratus non seruit Deo, sed mundo, nisi dum in templo preculas suas murmurat. Quid est hoc aliud, quam officia illa diuina Magistratus, a Deo condita, instituta & precepta, damnare & blasphemare, quæ tamen & ipsi gnauiter & non segniter exercent? ut uideas ab istis monstris hominum, damnari opera bona Dei, non alia causa, quam quia ipsa eadem & alij faciunt, Et laudari, quia ipsi solent ea libenter facere, Cum enim officia ipsi faciunt, & tamen ipsos status damnant, manifeste patet, quod personas statuum damnant, uelut odiosæ mundi, & non soli cuncta faciant, quæ alij faciunt.

Istis blasphemis & sacrilegis opinionibus sic imbuerunt Regum & Principum animos, ut ipsi desperarent de statu suo, nec posse saluum fieri, qui in Magistratu seruebat. Et hac larua diaboli conterriti, fere omnes desperunt, neglectis suis officijs, aut alteri commissis, ipsi in templis quasi Monachi assidue orare & Deo seruire. Quamquam hæc negligentia officiorum non tam grande malum fuit, quam quæ hæc opinione seruendi Deo, ipsam fidem in Christum extinxerunt. Et miseros homines, non solum a sue uocationis officijs absterrerent, sed etiam fiduciam collocare docerent, in ista officia sua uocatione aliena, quæ & uerissima dupliciter fuerunt peccata, Semel, quæ suis officijs neglectis, Deo inobedientes fuerunt. Secundo, quæ alienis officijs Deo seruientes & in eis fidentes, uere idolatræ fuerunt. Ecce is fuit fructus huius doctrine, quam iste Sermo docuit, scilicet, Nonnas seruire Deo eternaliter corpore & anima. Hoc scandalo abominatæ uoluntatis subuerterunt & pietatem fidei, & officia politie, utrunque scilicet regnum Dei, externum & internum.

Valuit autem illis pluri num, Principes & Reges, his opinionibus sacrilegis esse captos & demensatos. Nam hæc arte parauerunt & subiecerunt sibi mundum & omnem ornatum seculi, quem tam religiose sperauerunt. Nam Principes & Reges, desperantes de suis officijs & statutis,

Quid aliud facerent, quam ut alienis officijs sese solarentur, Et cum fides  
eis esset ignota, & per pestilentis istos Magistros, obscurata et abscondita,  
nulla erant reliqua officia quam Nonnorum et Nonnarum, quorum prae-  
sidijs sperarent salui fieri. Igitur ad participandum illis, auxerunt ea in in-  
finitum, edificantes, dotantes, locupleantes, Monasteria sine fine & sine  
modo, ut mundum istis speluncis diabolorum et diaboliarum repleuerint,  
donec ipsi uix dimidium rerum retinuerint, et omnia profuderint in ista  
aliena, id est, sacrilega et idolatrica officia. Tales debuit mundus, in-  
gratus Christo, Magistros habere, & hunc & similes sermones audire &  
adorare pro summa ueritate & pietate.

Et unde tamen sumpserunt ista sacrilega dogmata? Non nisi e San-  
cto Paulo. 1. Corin. 7. Vbi dicit, Mulier cogitat quae sunt mundi, ut pla-  
ceat uiro, Et Vir cogitat quae sunt mundi, ut placeat uxori, Et diuisus est,  
Virgo cogitat, quae sunt Dei, ut sit sancta corpore & spiritu. Ex hoc tex-  
tu habet ista Magister noster hunc magistralem sermonem. Hic Paulum in-  
telligunt uelut damnantem coniugium ceu mundanum statum, & docent  
hinc, Deo non seruire posse coniuges, Hunc sensum stupidi isti & stertentes  
lectores Pauli, e suo cerebro afferunt in Paulum, more suo perpetuo, Cum  
Paulus non damnet, nec peccatum esse dicat, cogitare ea quae sunt mundi  
& placere coniugi, Sed distinguat & comparet diuersa officia uirginitatis  
& coniugum, Sic tamen, ut in utrisq; eidem Deo seruiatur. Nam coniu-  
gis officium sanctum & Deo gratum est, amare coniugem & studere ut illi  
placeat, Hoc fit autem cogitando ea quae mundi sunt, id est, domum curan-  
do, familiam regendo, alendo prolem, laborare & alia domestica opera  
exercendo, pro uictu & amictu liberorum, deinde seruire ciuibus, & pa-  
rere Magistratibus. Haec enim sunt mundi, & in mundo necessaria, Et ea  
cogitare, est ea sollicite & fideliter curare & praestare, Haec etiam placent  
uiro in muliere & mulieri in uiro.

At nostri Aſini, Cogitare, non intelligunt aliud, quam uel castis uel  
non castis cogitationibus intentum esse, quafi Paulus de libidine & uolupta-  
te carnis inter coniuges & de continentia Nonnarum loquatur, cum de  
officijs, laboribus & molestijs coniugij loquatur, quibus distrahuntur, ne  
semper illi unico & optimo officio, scilicet uerbi Dei, possint uacare, sed  
coguntur sepius in sua officia distrahi, In quibus tamen aequae seruiunt  
Deo, atq;

Deo, atq; faciunt in officio uerbi, Virgo uero potest assidue ( ut mox dicitur ) in officio uerbi seu ( ut Paulus ait ) in obsequio Domini esse, ut quae officijs erga maritum, prolem, familiam, deum, agrum & alias molestias libera est. At nostri assidue magistrates seruire Domino hic uocant, cogitare de castitate & in choro cantare et preces murmurare, Nam nemo fuit ab officio uerbi remotior ( id est uero cultu Dei ) quam Nonni & Nonnae. Deinde ( ut dixi ) Nemo implicatior et attentior in cogitando ea quae sunt mundi, exceptis officijs erga coniugem et prolem, Caetera omnia mundi tam oeconomica et politica, sic cogitauerunt, ut toti mundo exempla preberent, colendi, edificandi, alendi, emendi, uendendi et omnia officia mundana exercendi.

#### SEQVITVR.

Imo id quod est Deo gratissimum, scilicet Virginitatem.

Quam secure pronuntiat hoc os diaboli, uirginitatem esse prorsus rem gratissimam praee omnibus obsequijs. Et ferendum erat, Si pro laudanda uirginitate, aliqua tali hyperbole aut superlatiuo uterentur, modo hyperbolen esse sinerent, et figurate dictam accipere permetterent. Nunc autem simpliciter & serio sic docuerunt, & absq; hyperbole uirginitatem istam feda et corrupta carnis, praetulerunt fidei et omnibus donis fidei, Et per hoc pure et castae fidei pietatem extinxerunt, et in locum eius idolum uirginitatis et multa alia statuerunt, Nam miserorum istud puellarum uulgus, istis laudum prodigijs delusum, credidit se esse summum Ecclesiae miraculum, contempta fide et negato Christo, Sit Virginitas Deo gratissima, sed in suo gradu et ordine, ut et coniugium maneat Deo gratissimum, Nihil autem gratius pura fide in Christum, imo nihil tam gratum.

#### SEQVITVR.

Nam Deus specialiter eligit Virgines sibi hic et in futuro.

Scilicet tam cupidus est multarum sponzarum, ut ne in futuro quidem amore uirginum expleri possit. Sed sicut dixi, Hic sermo, Exemplar est Doctrinae Papisticae, ideo per singula uerba, spirat uinum illud fornicationis in aureo calice purpuratae meretricis, ut ipse solus possit, ille ipse Calix aureus fornicationis dici, Deus eligit specialiter uirgines. Hoc specialiter, iterum non hyperbolen esse sinunt, sed praeferunt uirginitatem fidei & toti Spiritui.

C f Sequitur.

SEQVITVR.

Status uirginum est excellentissimus quem Christus  
& Beata Virgo tenuerunt.

Audis hic? Quod Christus & Maria nihil tenuerunt excellentius uir-  
ginitate, forte Maria mentita est cum dixit, Respexit humilitatem ancille  
sue, cum dicere debuerit, Respexit excellentiorem uirginitatem.

Item Laudabilissimus, Quia maior  
uictoria & duriora certamina.

Hoc uerbum ex S. Augustino habent, dicente, Inter Christianorum  
certamina, duriora sunt castitatis praelia, Vbi quotidiana est pugna & ra-  
ra uictoria. Sed ipse uiderit, quid dixerit, forte uoluit dicere, Duriora. i.  
magis assidua & diuturniora, sicut illud indicat, Quotidiana pugna, Sed  
non dicit Maiorem esse uictoriam, sicut hoc os Satane addit. Duriora sunt  
animi fidei certamina prae omnibus, ut in Iacob, Dauid & alijs patet, quae  
si Augustinus non est expertus, ignoscetur facile eius uerbis, corde candido  
et sincero prolatis, Sed non ut dogmata fiant aut conscientias informet, De-  
inde uictoria fidei uincit mortem, peccatum, infernum, diabolum, mundum  
Quia absque fide, Virginitas uincitur & suae scortatio & omnis generis  
in iudicio.

Item Utilissimus, Quia consequitur fructum centesimum.

Ista animalia in nauida, omnia sine iudicio deurrant, quae in patri-  
bus legunt, & euomunt nobis ea postmodum pro decretis fidei. Errauit  
hic S. Gregorius, & hunc locum Euangelij de diuersis fructibus uerbi, de-  
prauauit, ad fructus operum, seu premiorum potius. Ita factum est, ut per  
eorum Ecclesiam eius deprauatio, cantata, lecta & celebrata sit, maxima  
auctoritate, non in paruum scandalum & iacturam fidei & fidelibus, Scili-  
cet hac deprauatione, firma sunt ista scandala Monasteriorum, & ob-  
scureta fides Christi. Centesimus igitur fructus est, quod Euangelion semina-  
tum seu praedicatum, per unum plus quam per alium operatur, Unus eti-  
am plura dona fidei acquirit quam aliter, Sic Paulus centesimum fructum ha-  
bet, comparatus alijs Apostolis, quia plus laborauit & latius praedicauit.  
Augustinus centesimum non habet praeter multos Episcopos &c. Non igitur de  
premijs, sed de fructibus uerbi loquitur hic Christus.

SEQVITVR.

Et hoc

*Honoratur in caelo angelica societas, gaudij singularitate, Christi,  
confirmate, sequuntur enim Virgines angnum quocunq; ierit.*

*Hæc omnia sic dicuntur de Virginibus, quasi omnes alij sancti excelsi  
dantur, Sed (ut dixi) oportuit hunc sermonem fieri perfectum exemplum  
doctrinæ & sapientiæ ipsorum, Toties iam repetijt, quod Christus etiam  
uirgo fuerit, & uirgines similes illi præ omnibus sanctis, Ita delectat su-  
perbiam istam carnis mortuæ, omnes sanctos despicere & suam uirginita-  
tem unice admirari, in fidei & Christi iniuriam & blasphemiam.*

*Sed quid ad illud dicemus, q; uirgines quæ agnum sequuntur, sunt  
masculi, non femine? Dicit enim de eis Apoca. 14. Hij sunt qui cum muli-  
eribus non sunt coquinati, Virgines enim sunt & c. Quomodo autem po-  
ssunt mulieres cum mulieribus inquinari? Sed qui totam scripturam, transe-  
unt & obiter legunt, quomodo possent hunc locum obseruare, cum in  
multo apertioribus stertant, & sua somnia fingant. Igitur Virgines istæ  
sunt Christiani uirginitate fidei, qui spretis fornicationibus idolorum &  
doctrinarum meretricis purpurate, solum Christum et purum eius uerum  
sequuntur, Aut si carnaliter intelligi coquinationem uelimus, significat  
eos, qui sædum & inquinatissimum calibatam Papsitarum spei nunt &  
casto coniugio fidem Christi ornant, sicut hodie fieri uidemus.*

*Quam Papaliter uero adducit illud Sapientiæ, Omne aurum in com-  
paratione eius, arena est exigua. Et illud Ecele. 26. Non est digna fonde-  
ratio continentis animæ. Scriptura, illis, quouis loco quodlibet ualet ad em-  
nia quæ uolunt. Et ludunt in ea prohibito, sed nimis serio ludo, in perniciem  
fidei et ignominiam Christi et subuersionem Ecclesiæ, quam his pestibus op-  
primunt, Sed satis sūt, per hæc indicasse portents in hoc sermone congesta,  
Nullum uerbū in ea reperient fideles, quod nõ præstrat uirginitatem per li-  
arb. oblatam, fidei, hoc est, quod non blasphemet Christum et Ecclesiam ei-  
us, seu ut Apoca. dicit, Decem et octo eracuulum eius. Et hæc quidem sunt illa  
nomina blasphemæ, quibus plena est bestia illa coccinea decem cornum.  
Christus perdat eam cum illustratione aduentus sui, Cui sit gloria in omni  
sæcula, Amen.*

IMPRESSVM VVITTENBERGAE  
PER NICOLAVM SCHIR-  
LENTZ.



1692

IMPERIALIS UNIVERSITATIS  
 ACADEMIAE SCIENTIARUM  
 PHISICAE MATHEMATICAE  
 HISTORIAE LINGVAE ET LITTERARUM  
 AUSTRIACAE  
 INSTITUTIUM  
 ANNO 1692

IMPERIALIS UNIVERSITATIS  
 ACADEMIAE SCIENTIARUM  
 PHISICAE MATHEMATICAE  
 HISTORIAE LINGVAE ET LITTERARUM  
 AUSTRIACAE  
 INSTITUTIUM  
 ANNO 1692